This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

KC
15709

HN 5W4I D

Aesopus 1612

Google

G210.42.120 KC15709

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AESOPI

PHRYGIS,

solertissimi lepidissimique hominis

FABVLARVM

maximè lepidarum, Liber I.

LEOVARDIAE,

Excudebat Abrahamus Radæus,

Typographus Ordinarius.

CIↃ. CIC XII.

Digitized by Google

FABVLARVM ISTARVM
interpretes hi sunt:

Guilielmus Gaudanus.
Hadrianus Barlandus.
Erasmus Roterodamus.
Aulus Gellius.
Angelus Politianus.
Petrus Crinitus.
Ioannes Antonius Campanus.
Plinius Secundus Novocomensis.
Nicolaus Gerbelius Phorcensis.
Laurentius Valla.

Ga 10.4.2.12a KC 15709
Harvard College Library
Bowie Collection
Gift of
Mrs. E. D. Brandegee
Nov. 9, 1908.

Digitized by Google

ÆSOPI FABVLARVM LIBER

De Gallo Gallinaceo.

GALLVS gallinaceus dum vertit ſtercorarium, offendit gemmam: quid inquiens, rem ſic nitidam reperio? Si gemmarius reperiſſet, nihil eſſet eo lætius, ut qui precium ſciret. Mihi quidē nulli eſt uſui, nec magni æſtimo, imò equidem omnibus gemmis granum hordei malim.

MORALE.

Per gemmam, artem, ſapientiamq; intellige: per gallū, hominem ſtolidum, & voluptuariū. Nec ſtolidi artes liberales amāt, cū uſum earum neſciant: nec voluptuarius, quippe cui una placeat voluptas.

De Lupo & Agno.

LVPUS ad caput fontis bibens, vidit agnum procul infrà bibentem. Accurrit, agnum increpitat quòd turbarit fontem. Trepidare agnus, ſupplicare, ut parcat innocenti. Se, quando longè infrà biberit, potum lupi ne potuiſſe quidem turbare, nedum voluiſſe. Lupus cōtrà intonat, nihil agis ſacrilege, ſemper obes. Pater, mater, omne tuum inviſum genus ſedulò mihi adverſatur. Tu mihi hodie dabis pœnas.

MORAL. *Verum dictum eſt. Vt canem edas, facilè invenire baculum. Potens, ſi libeat nocere, facilè capit nocendi cauſſam. Sanctis peccavit, qui reſiſtere non potuit.*

Digitized by Google

De Muribus & Ranis.

BEllum gerebat mus cum rana. De paludis cer tabatur imperio. Pugna erat vehemens & an ceps. Mus callidus sub herbis latitans ex insidiis ra nam adoritur: rana viribus melior, pectore & insul tu valens, aperto marte hostem lacessit. Hasta utriq; erat juncea. Quo certamine procul viso, milvus ap properat: dumq; præ studio pugnæ neuter sibi ca vet, utrumque bellatorem milvus rapit, ac dilaniat.

MORALE. *Itidem evenire solet factiosis civibus, qui ac censi libidine dominandi, dum inter se certant fieri magistratu opes suas plerumq; etiam vitam in periculo ponunt.*

De Cane & Vmbra.

CAnis trans fluvium, rictu vehebat carnē. Splen dente sole, ita ut fit, umbra carnis lucebat in aquis, quam ille visam avidè captans, quod in fauci bus erat perdidit. Itaq; cum rei tum spei jactura per culsus, primum stupuit, deinde animum recipiens, sic elatravit: Miser, decrat cupiditati tuæ modus. Satis superq; erat, ni desipuisses. Iam per tuam stulti tiam minus nihilo tibi est.

MORAL. *Monemur hac fabella modestiæ, monemur pru dentiæ, ut & cupiditati sit modus, ne certa pro incertis amittamus. Astutè certè Terentianus ille Sanio: Ego, inquit, spem pretio non emo.*

De Lxone & quibusdam alijs.

CUm ove quibusdāq; aliis pepigerat leo, venati onem fore communem. Itur venatum, capitur cer-

Digitized by Google

cervus, partiuntur singulas singulis partes: tollere, ut convenerat, incipientibus, leo irrugiit: Vna, inquiens, pars mea est, quia sum dignissimus. Altera item mea est, quia viribus præstantissimus. Porrò quia in capiundo cervo plus sudaverim, vendico tertiam. Quartam denique partem ni concesseritis, actum est de amicitia. Socii hoc audito, discedunt vacui & taciti, non ausi mutire contra leonem.

MORALE. *Rara semper fuit fides: apud hoc seculum rarior est: apud potentes & est, & fuit semper rarissima. Quocirca salvum est, ut vivas cum pari: Qui autem cum potentiori vivit, necesse habet sæpè de suo jure concedere: cum æquali æquale tibi jus erit.*

De Lupo & Grue.

LUpo voranti ovem, fortè ossa hæsere in gula. Ambit, orat opem, opitulatur nemo. Omnes dictitant tulisse eum precium voracitatis. Tandem blanditiis multis pluribusq; promissis, Gruem induxit, ut collo longissimo in gulam inserto, os infixũ eximeret. Petenti autem præmium, illusit. Inepta, inquit, abi. Non sat habes quod vivis? vitam debes mihi. Si libuisset, licuit præmordere collum tuum.

MORALE. *Tritum est: perire quod facis ingrato.*

De Rustico & Colubro.

RVsticus repertum in nive colubrũ, frigore prope enectum, domum tulit, abjecit ad focum. Colúber ab igni vim virusq; recipiens: deinde flam-

Digitized by Google

mam non ferens, omne tugurium sibilando infecit. Accurrit rusticus, correpta sudè, verbis verberibusq; cum eo injuriam expostulat: Num hanc referat gratiam, num vitam erepturus sit illi, qui vitam ipsi dederit?

MORAL. *Fit interdum, ut obsint tibi quibus tu profueris & malè de te mereantur ii, de quibus tu bene sis meritus.*

De Apro & Asino.

DVm iners asinus irridet aprum, ille indignans frendebat: Malum quidem ignavissime fueras meritus: sed etiam si tu pœna fueras dignus, tamen ego indignus qui à te pœnas sumam. Irride tutus, impunè tibi licet, tutus enim es ob inertiam.

MORAL. *Demus operam, ut cùm indigna nobis audimus aut patimur, ne indigna nobis dicamus aut faciamus. Mali enim & perditi plerunque gaudent, si quispiam bonorum eis resistat. Magni pendunt haberi se dignos ultione. Imitemur equos, & magnas bestias, quæ oblatrantes caniculos cum contemptu prætereunt.*

De Mure urbano & Mure rustico.

LIbitum est urbano muri deambulare rus. Vidit nunc mus rusticus, invitat: apparatur, itur cœnatum. Depromit rusticus quicquid posuerat in hyemem, exhaurit omne penu, ut tanti hospitis expleat lautitiam. Vrbanus tamen frontem corrugans ruris damnat inopiam, urbis subinde laudat copiam. Remeans, ducit secum in urbem rusticum, ut qua verbis jactitârat, re comprobaret. Ineunt conviviũ

quod

quod urbanus splendidè comparârat. Inter epulandum auditur in sera murmur clavis, trepidare illi & fugitare fugitando. Rusticus & insuetus & loci ignarus, ægrè se tueri. Discedente famulo, redit urbanus ad mensam, vocat rusticum. Ille vix tandem menu deposito, prorepit. Invitantem ad pocula urbanum percunctatur, num hoc periculum crebrum sit? Respondet ille quotidianum esse, oportere contemni. Tum rusticus; Quotidianum inquit? Me herculè, istæ dapes plus fellis quàm mellis sapiunt. Equidem malo cum securitate meâ inopiam, quàm cum tali anxietate istam copiam.

MORAL. *Divitiæ præ se ferunt quidem voluptatem, sed si introspicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapelus quidam fuit, qui cum inimicis suis quam maximè nocere vellet, divites eos faciebat, dicitans ita se eos ulciscì, quippe accepturos cum divitiis ingentem sarcinam curarum.*

De Aquila & Cornicula.

AQuila nacta cochleam, non vi aut arte quivit eruere piscem. Accedens cornicula, dat consilium. Suadet subvolare, & è sublimi cochleam in saxa præcipitare, sic enim fore ut concha frangatur. Humi manet cornicula, ut præstoletur casum. Præcipitat aquila, frangitur testa, subripitur piscis à cornicula, dolet elusa aquila.

MORAL. *Noli quibusvis habere fidem: & consilium, quod ab aliis acceperis, sæpe inspicias. Multi enim consulti, non suis consultoribus, sed sibi consulunt.*

Digitized by Google

De Corvo & Vulpecula.

PRædam nactus, strepitat in ramis corvus. Videt vulpecula gestientem, accurrit. Corvum, inquit, plurima salute impertit vulpes. Sæpenumero audieram famam esse mendacem, jam re ipsa experior. Nam ut hàc fortè jam prætereo, suspiciēs te in arbore, advolo culpans famā, fama enim est, te nigriorem pice esse, & video candidiorem nive. Meo sanè judicio cygnos vincis, & hæda formosior alba es. Quòd si ut plumis, ita & voce excellis, omnium avium equidem te dixerim reginam. Hac assentatiūcula illectus corvus, ad canendum apparat: apparanti verò, è rostro excidit caseus: quo correpto, vulpecula cachinnum tollit. Tum demum miserum corvum pudet, pigetq; sui. Et jactura rei mixta pudore dolet.

MORALE. *Nonnulli sic avidi laudis sunt, ut cum suo probro & damno ament assentatorem. Ejusmodi homunciones prædæ sunt parasitis. Quòd si vitaveris jactantiam, facilè assentatorem postiverum genus vitaveris. Si tu velis esse Thraso, nusquam deerit Gnato.*

De Leone senectute confecto.

LEo qui in juventute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exolvit pœnas. Reddunt talionem bestiæ. Dente aper cornu petit taurus. In primis asellus, vetus ignaviæ nomen cupiēs abolere, verbis & calcibus strenuè insultat, tum gemebundus

Digitized by Google

gemebũdus leo. Hi, quibus olim nocui, jam vicissim nocent, & merito. Sed hi quibus aliquãdo profui; jã vicissim non prosunt, imò etiã immeritò obsunt. Stultus fui qui multos fecerim inimicos: stultior, qui falsis amicis confisus fuerim.

MORAL. *In secundis rebus ne efferaris, ne sis vesanus. Nam si vultum mutârit fortuna ulciscentur quos lasisti. Et inter amicos hoc habeas discrimen. Sunt enim quidam amici non tui sed mensæ tuæ, & fortunæ tuæ. Quæ quidem fortuna simul ac mutata erit, & illi mutabuntur. Et bene tectum actum erit, si non inimici tui fuerint. Meritò queritur Ovidius.*

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis.
Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In medijs lacera puppe relinquor aquis.

De Cane & Asino.

DVm blandiretur canis hero & familiæ, herus & familia canem demulcent. Asellus id videns, altiùs gemit, cœpit eum pigere suæ sortis: iniquè putat comparatum, canẽ gratum esse cunctis, pasciq́ue de mensa herili, idque otio ludoq́ue consequi. Sese contrà portare clitellas, cædi flagello, nunquam otiosum esse, & cunctis tamen odiosum. Si hæc fiant blanditiis, eam artẽ quæ tam utilis sit, statuit sectari. Igitur, quodam tempore redeunti domum hero, rem tentaturus, procurrit obviam, subsilit, pulsat ungulis: exclamãte hero, accurrêre servi: & ineptus asellus, qui se urbanum credidit, fuste vapulat.

Digitized by Google

MORAL. *Non omnia possumus omnes, ut Virgilius ait in Bucolicis: nec omnes omnia decent. Id quisque velit id tentet quod possit. Nō simus id quod Græcè significatius dicitur, ὄνος λύρας, id est, asinus lyrarum vel lyræ. Sic autem Boëtius, Asinus ad lyram positus. Repugnante natura, irritus est labor. Tu nihil invita facies dicésve Minerva, teste Horatio.*

De Leone & Mure.

LEo æstu, cursuque defessus, sub umbra fronde super viridi quiescebat. Murum autem grege, pergum ejus percurrente experrectus, unū è multis comprehendit: supplicat captivus, indignum se esse cui leo iraſcatur, clamitat. Reputans ille, in hece tantillæ bestiolę nihil esse laudis, captivum dimittit. Nec verò ita multò post, leo fortè dum per saltum currit, incidit in plagas. Rugire licet, exire nō licet. Rugientem miserabiliter leonem mus audit, vocé agnoscit, repit in cuniculos laqueorum quærit nodos, quæsitos invenit, inventos corrodit, leo è plagis evadit.

MORAL. *Hæc fabula suadet potentibus clementiam. Etenim ut sunt res humanæ instabiles, egent interdū ipsi potentes ope humillimorum. Quare vir prudēs cùm poteſt, timebit vel ulli hominum nocere. Qui autem non timet nocere alteri, valde desipit. Quid ita? Quia etsi jam potentia fretus neminem metuis, forsan olim erit ut metuas. Contigit enim evenisse claris magnisq; regibus, ut vilium hominciōnū vel gratia indiguerint, vel iram mitigarint.*

De Milvo ægroto.

LEcto decumbebat milvus: jam fermè moriens, matrem orat precatū ire deos. Mater respōdet, nihil

nihil opis illi sperãdum à diis, quorum sacra & aras suis rapinis toties violasset.

MORAL. *Decet venerari superos. Illi enim pios juvant, impios aversantur. In fœlicitate neglecti, in miseria non exaudient. Quare in secundu rebus sis eorum memor, ut in adversis rebus præsentes sint vocati.*

De Hirundine.

CVm primùm cœptum est seri linum, hirundo suadet aviculis impedire sementem, dictitans sibi fieri insidias. Irrident illæ, stultam vatem hirundinem vocant. Surgente jam lino & virescente, rursus monet evellere sata, iterum irrident. Maturescit linum, hortatur populari segetem. Cùm ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo aviũ cœtu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam. Iniit cum eo fœdus, cohabitat, cantu demulcet. Cæteris avibus è lino fiunt retia & laquei.

MORAL. *Multi nec ipsi consulere sibi norunt, nec rectè consulentem audiunt. Sed quum in periculis sunt & damnis, tum demum sapere incipiunt & suam damnare socordiam. Tum sat superque consilii est. Hoc inquiunt, & illud factum oportuit. Sed præstat esse Prometheum, quàm Epimetheum. Fuêre hi fratres: nomina sunt Græca. Alteri consilium ante rem fuit, alteri post rem. Quod declarat interpretatio nominum.*

De Ranis & earum Rege.

GEns ranarũ, cùm esset libera, Iovi supplicabat dari regẽ. Ridere Iupiter vota ranarũ, illæ ta-

Digitized by Google

men iterum atque iterum instare, donec ipsum perpellerent. Dejicit ille trabem. Ea moles ingenti fragore quassat fluvium: territæ silent ranæ, regem venerantur. Accedunt pedetentim propiùs: tandem abjecto metu, insultant & desultant. Iners rex lusui est & contemptui: lacessunt rursùm Iovem, orant regem dari qui strenuus sit. Dat Iupiter Ciconiam. Is perstrenuè perambulans paludem, quicquid ranarum obviam fit, vorat. De hujus igitur sævitia ranæ frustrà questæ sunt. Iupiter non audit. Nam & hodie adhuc queruntur. Vesperi enim Ciconia cubitum eunte, ex antris egressæ, rauco ululatu murmurant, sed surdo canunt. Vult enim Iupiter, ut quæ regem clementem sint deprecatæ, jam ferant inclementē.

MORALE. *Perinde atque ranis, evenire solet plebi. quæ si regem paulò mansuetiorem habet, ignavum inertemque essi causatur, optat aliquando contingère sibi virum. Contrà, si quando nacta est regem strenuum, hujus sævitiam damnat, priorem laudat clementiam. Sive quod semper præsentium vo pœnitet, sive quòd verum est verbum: Nova veteribus non assi potiora.*

De Columbis & Milvo.

COlumbæ olim bellum gessére cum milvo: qui ut expugnarēt, delegerunt regem accipitrem ille rex factus hostem agit, non regem. Non segniùs ac milvus rapit ac laniat. Pœnitet columbas incepti satiùs fuisse putantes pati bella milvi, quàm tyranni dem accipitris.

Digitized by Google

MORAL. *Neminem sua sortis nimium pigeat. Nil est, teste Horatio, ab omni parte beatum. Equidem meam sortem, modò tolerabilis sit, mutari non optem. Multi novâ sorte quæsitâ, veterem rursus optarunt. Ita plerique ingenio sumus omnes, ut nosmet nostri pœniteat.*

De Fure & Cane.

FVri aliquando panem, ut fileat, porrigenti respondet canis: Insidias tuas novi; panem das quò desinam latrare. Sed ego munus tuum odi: quippe si ego tulero panem, tu ex his tectis cuncta asportabis.

MORAL. *Cave, parvi commodi causâ, amittas magnum: cave cuivis homini fidem habeas. Sunt enim qui dolo non tantùm benignè dicunt, sed & benignè faciunt.*

De Lupo & Sucula.

PArturiebat sucula, pollicetur lupus se custodem fore fœtus. Respondit puerpera, lupi obsequio se non egere. Si velit pius haberi, si cupiat gratum facere, longiùs abeat. Lupi enim officium constare, non præsentia, sed absentia.

MORALE. *Non sunt cuncta credenda cunctis. Multi suam operam pollicentur, non tui amore, sed sui: sunt quærentes commodum, non tuum.*

De partu Montium.

OLim rumor erat, parturire montes. Homines decurrunt, circunsistunt, monstri quippiam, non sine pavore, exspectantes. Pariunt tandem montes, exit mus. Tum omnes risu emori.

Digitized by Google

MORAL. *Hanc fabulam tangit Horatius: Parturiunt montes, inquit, nascetur ridiculus mus. Notat autem jactantiam. Iactabundi enim cùm magna profitentur, & ostentant, vix parva faciunt. Quapropter ihraſones illi jure sunt materia joci & scommatum. Vetat item hæc fabella inanes timores. Plerumque enim gravior periculo est periculi metus, immò ridiculum est quòd metuimus.*

De Cane venatico.

CAnem venaticum, qui jam senuerat, instigat herus, frustrà hortatur. Tardi sunt pedes, non properat. Prehenderat feram, fera edentulo elabitur. Increpat herus verbere & verbo. Canis respondet, debere sibi jure ignosci, jam senuisse se, at juvenē fuisse strenuum: sed ut video, inquit, nihil placet sine fructu. Iuvenem amasti, senem odisti. Amasti prædabundum, odisti tardum edentulum. Sed si gratus esses, quem olim juvenē frugis causſa dilexisti, senem fructuosæ juventutis gratia diligeres.

MORAL. *Rectè canis. Nam teste Naſone: Nil nisi quod prodest, charum est: ex detrahe meuti Spem fructus avidæ, nemo petendus erit. Præteriti commodi nulla est memoria, futuri autem gratia non magna, præsentis commodi summa. Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur, Vulgus amicitias utilitate probat.*

De Leporibus & Ranis.

SYlva insolito mugiente turbine, trepidi lepores rapidè occipiunt fugere. Fugientes, cùm obsisteret palus, stetére anxii, utrinq; comprehensi periculis,

Digitized by Google

culis. Quodq; majoris esset incitamentum timoris, vident in palude mergi ranas. Tum ex leporibus unus prudentior cæteris ac disertior: Quid, inquit, inaniter timemus? Animo opus est. Corporum quidem agilitas nobis est, sed animus deest. Hoc periculum turbinis non fugiendum, sed est contemnendum.

MORAL. *Omni in re opus est animo. Licet virtus sine confidentia. Confidentia enim dux & regina virtutis est.*

De Hædo & Lupo.

CApra quum esset paltum itura, hœdum domi concludit, monens aperire nemini dum redeat ipsa. Lupus qui id jam procul audierat, post matris discessum pulsat fores, voce caprizat, jubens recludi. Hœdus dolos præsentiens: Non aperio, inquit, nam etsi vox caprizat, tamen equidem per rimulas lupum video.

MORAL. *Obaudire parenti filios, ipsis est utile, & juvenem sevi decet auscultare.*

De Cervo & Lupo.

CErvus coram lupo ovem ream facit, modium tritici debere clamitans. Ovis debiti quidem erat inscia, tamen ob lupi præsentiam spondet se daturam. Dicitur solutioni dies. Dies adest, monet cervus ovem. Illa it inficias. Quòd enim promiserit, excusat factum id metu & præsentia lupi. Votum extortum, non esse servandum.

Digitized by Google

MORAL. *Sententia juris est, Vim vi repellere licet. Ex hâc fabella nova quadam nascitur, Fraudem fraude repellere licet.*

De Rustico & Angui.

RVsticus quidam nutrierat anguem. Iratus aliquando, bestiam petit securi. Evadit illa non sine vulnere. Posteà rusticus deveniens ad paupertatem, ratus est id infortunii propter anguis injuriâ sibi accidere. Igitur supplicat angui ut redeat. Ille ait ignoscere se, sed redire nolle: neque enim fore securum, quum rustico tanta sit domi securis, livorem vulneris desisse, superesse tamen memoriam.

MORALE. *Ei qui semel solvit, iterum habere fidem vix est tutum. Injuriam quidem condonare, id sanè misericordiæ est; cavere autem sibi, & decet & prudentiæ est.*

De Vulpecula & Ciconiâ.

VUlpecula vocarat ciconiam ad cœnam. Obsonium in mensam effundit, quod cùm liquidũ esset, ciconia frustrà rostro tentante, vulpecula lingit. Abit illusa avis, pudetque pigetq; injuriæ. Post plusculum dierum redit, invitat vulpeculam. Vitreum vas situm erat plenum belli obsonii. Quod quidem vas cùm esset arcti gutturis, vulpeculæ obsonium licuit videre, & esurire, gustare non licuit. Ciconia rostro facilè exhausit.

MORAL. *Risus Risum, jocus jocum, dolus dolum, fraus meretur fraudem.*

De

Digitized by Google

De Lupo & Capite picto.

LVpus in officina sculptoris caput humanum repertum versat, miratur, sentiens (id quod erat) nihil habere sensus. O pulchrum, inquit, caput. Est in te artis multum, sed sensus nihil.

MORAL. *Externa pulchritudo si adsit, grata est, sin alteratra carendum est, praestat externa quàm interna careas. Illa enim sine hac interdum incurrit odium, ut stolidus eo sit odiosior, quò formosior.*

De Graculo.

GRaculus ornavit se plumis pavonis. Deinde pulchellus sibi visus, fastidito genere suo, cōculit se ad pavonum genus. Illi tandem intellecta fraude, stolidam avem coloribus nudárunt, & plagis affecerunt. Horatius hanc fabellam primo epistolarum libro narrat de cornicula. Ait eam olim adornatam collectis, quę avibus exciderant, plumis: post ubi unaquæque aviū suā plumā decerpsit, ridiculā fuisse. Ne, si fortè suas repetitum venerit olim grex avium plumas, moveat cornicula risum, furtivis nudata coloribus.

MORALE. *Notat hac figura eos, qui se gerunt aeque sublimiùs qui cum his vivunt, qui & ditiores sunt & magis nobiles. Quare sapè inopes fiunt, & sunt ludibrio. Probè Iuvenalis monet E cœlo descendit γνῶθι σεαυθὸν hoc est, Nosce teipsum.*

De Musca & Formica.

MVsca altercabatur cum formica, se nobilem, illam ignobilē: se volitare, illā repere: se ver-

sari in tectis regum, illam cavernis latere, segetem rodere, aquam bibere: se splendidè epulari jactitabat, & hæc tamen otio nanciscì. E regione formicæ non ignobilem esse, sed suis natalibus contentam, muscam vagam esse, se stabilem: sapere formicæ grana & fluenta, quod muscæ pastilli & vina: atque hęc se non segni otio, at strenua opera nanciscì. Porrò formicam lætam esse & tutam, charam omnibus, exemplar denique laboris. Muscam anxiam cum periculo esse, cunctis infestam, cunctis invisam, exemplar denique segnitiei. Formicam hyemis memorem alimenta reponere, muscam in diem vivere, hyemem aut efuturam aut certè moriturum.

MORAL. *Qui pergit quæ vult dicere, quæ non vult audire. Musca si bene dixisset, audisset bene. Assentior autem formicæ: videtur enim optabilior vita obscura cum securitate, quàm cum periculo splendida.*

De Rana & Bove.

RAna cupida æquandi bovem, se distendebat. Filius hortabatur matrem cœpto desistere: nihil enim esse ranam ad bovem. Illa secundùm intumuit. Clamitat natus: Crepes licet mater, bovem nunquam vinces. Tertiùm autem cùm intumuisset, crepuit.

MORAL. *Cuique sua dos est. Hic forma, ille viribus: hic opibus, ille pollet amicis. Unumquemque sua decet esse contentum: valet ille corpore, tu ingenio. Quocirca quisque semet consulat, nec invideat superiori, quod miserũ est, nec quod stultitiæ est, certare optet*

D

De Equo & Leone.

VEnit ad equum comedendum leo. Carens autem prę ſenecta viribus, meditari cœpit artem, edicum ſe profitetur, verborum ambage equum oratur. Hic dolo dolum, artē opponit arti. Fingit nuper in loco ſpinoſo pupugiſſe pedem, orat ut ſpiciens ſentem medicus educat. Paret leo, ac eius quanta potuit vi, calcem leoni impingit, & ſe ontinuò conjicit in pedes. Leo vix tādem ad ſe reiens, ictu enim propè exānimatus fuerat: Precium, quit, fero ob ſtultitiam, & is jure effugit, dolum nim dolo ultus eſt.

MORAL. *Odio digna eſt ſimulatio: & ſimulationē capiendalon eſt timendus hoſtis, qui hoſtem prę ſe fert: ſed qui, cùm hoſtis t, benevolentiā ſimulat is demum timendus & odio digniſſimus.*

De Equo & Aſino.

EQuus phaleris ſellaque exornatus, cum ingenti hinnitu per viam currebat. Currenti autē onuſus aſellus fortè obſtabat. Equum ita fremebundus, & fræna ferox ſpumantia mandens: Quid, inquit, gnave obſiſtis equo? Cede inquam, aut proculco te pedibus. Aſellus contrà rudere non auſus, cedit tacitus. Equo autem provolanti & curſū intendenti crepat inguē. Tū curſui & oſtentui inutilis ornamētis ſpoliatur, dein carrario venditur. Videt poſtea cū carro venientem aſellus, & affatur: Heus bone vir, quidiſtuc ornati eſt? ubi aurata ſella? bullata cingula? ubi nitidum frænum? ſic amice neceſſe fuit evenire ſuperbienti.

Digitized by Google

MORAL. *Plerique in secundis rebus elati sunt, nec satis mo-
mores, nec modestiæ. Sed quia prosperitate insolescunt, adversita-
tem incurrunt. Eos qui fœlices videntur, meminerim esse cauto.
Etenim si vota fortunæ circumactæ fuerint, sentient miserrimum
genus infortunii esse, fuisse fœlicem. Accedat ad cumulum infœli-
citatis, id quoque mali. Contemnentur ab iis, quos ipsi contempse-
runt & illudent eis ii quos ipsi risere.*

De Avibus & Quadrupedibus

AVibus pugna erat cum quadrupedibus. Vi-
trinque spes, utrinque metus, utrinq; erat pe-
riculum, Vespertilio autem relictis sociis, defecit ad
hostes. Vincunt aves, duce & aspice aquila. Trans-
fugã verò vespertilionẽ damnat, uti ne ad aves nun-
quã illi fit reditio, uti ne luce nunquam sit vocatus.
Hæc causa vespertilioni est, ut nõ nisi noctu volet.

MORAL. *Qui cum sociis adversitatis & periculi participes
esse renuit, prosperitatis & salutis expers erit.*

De Lupo & Vulpe.

LVpus quum prædæ satis esset, in otio degebat.
Accedit vulpecula, scisciatur otii causſam. Sen-
sit lupus insidias fieri suis epulis, simulat morbum
esse causſam, orat vulpeculam deprecatum ire deos.
Illa dolens dolum non succedere, adit pastorem,
monet petere latebras lupi, hostem enim securum,
posse inopinatò opprimi. Adoritur pastor, lupum
mactat. Illa potitur antro & præda. Sed fuit illi bre-
ve sceleris sui gaudium: Nam non ita multò pòst
idem pastor & ipsam capit.

MORAL. *Fœda res invidia est, & ipsi auctori quoque perni-
ciosa. Flaccus epist. libro primo. Invidus alterius rebus macrescit
opimis. Invidia Siculi non invenêre tyranni Majus tormentum*

De

De Cervo.

CErvus in perſpicuo fonte ſe conſpicatus, probat procera frontis & ramoſa cornua, ſed tibiarum exilitatem damnat. Fortè dum contemplatur, cum judicat, intervenit venator. Fugit cervus ocyor illis, & agente nimbos ocyor euro. Inſectantur fugientem canes. Sed cùm intraſſet condenſam ſylvã, implicita ſunt ramis cornua. Tum demum tibias laudabat, & cornua damnabat, quæ fecere ut præda eſſet canibus.

MORAL. *Fugienda petimus, petenda fugimus. Placent quæ officiunt, quæ conferunt diſpliceant. Beatitudinem cupimus priuſquam ubi ſit intelligamus. Opum excellentiam & honorum celſitudinem quærimus, in his beatitudinem ſitam opinamur, in quibus tamen multum Laboris eſt & doloris. Pulchrè id ſignificat Lyricus ille noſter. Sapiùs ventis agitatur ingens Pinus, & celſa graviore caſu Decidunt turres, feriuntq; ſummos Fulgura montes.*

De Vipera & Lima.

IN fabrica offendens limam vipera, cœpit rodere. Subriſit lima: Quid, inquiens, inepta, quid agis? Tu tibi antè contriveris dentes, quàm me atteras, quæ duritiem æris præmordere ſoleo.

MORAL. *Etiam atque etiam vide, quicum tibi res ſit. Si in fortiorem dentes acuis, non illi, ſed tibi nocueris.*

De Lupis & Agnis.

LVpis & agnis quibus natura diſcordia eſt, fœdus aliquando fuit, datis utrinque obſidibus. Lupi suos catulos, oves canum cohortem dedere. Quietis ovibus ac paſcentibus, lupuli matrũ deſiderio ulula-

Digitized by Google

tus edunt. Tũ lupi irruentes, fidem fœdusq; solu clamitant, ovesq; canũ præsidio destitutas laniant.

MORAL. *Inscitia est, si in fœdere tua præsidia hosti trad Nam qui hostis fuit, hostis forsan esse nondum desiit. Fortassis causam ceperit, cur te nudatum præsidiis adoriatur.*

De Sylva & Rustico.

QVo tempore etiam arboribus suus sermo er venit rusticus in sylvam, rogans ut ad securi suam tollere liceat capulum. Annuit sylva. Rustic aptata securi cœpit arbores succidere. Tum, & qui serò, pœnituit sylvam suæ facilitatis. Doluit seipsa esse caussam sui exitii.

MORAL. *De quo bene merearis vide. Multi fuêre qui accep beneficio, in autoris abusi sunt perniciem.*

De Membris & Ventre.

PEs & manus ventrem olim incusarunt, quòd otioso eo lucra ipsorum vorarentur. Iubent a laboret, aut aliena petat, supplicat ille semel & iter negant tamen manus alimentum, Exhausto ined ventre, ubi cœpêre oẽs artus deficere, tum man voluit tandem officiosa esse, verùm id serò. Na venter desuetudine debilis, cibum repulit. I cuncti artus dum ventri invident, cum ventre per unte pereunt.

MORAL. *Perinde atq; in membrorum societate est, ita ho se societas humana. Membrum eget membro, amicus eget am Quare mutuis operis & mutuis officiis utendũ est. Neque div neque dignitatum apices homines satis tuentur. Vnicum & su mum præsidium complurium amicitia est.*

De Simia & Vulpecula.

SImia vulpeculam orat, ut partem caudæ sibi donet, ad tegendas nates. Illi enim esse oneri, quod ibi foret usui & honori. Respondet illa nihil iimis esse, & se malle humū cauda sua verri, quàm simiæ nates tegi.

MORAL. *Sunt qui egeant, sunt quibus superest, Nulli tamen invisum id morus est, ut re superflua bene egenos.*

De Cervo & Bobus.

CErvus venatorem fugiens, conjecit in stabulū. Boves orat, ut in præsepe latitare liceat. Boves tutum esse negant. Mox enim & dominum & famulum affuturos, ille securum se esse ait, modò ne ipsi prodant. Intrat famulus, occultum fœno non videt, exit. Gestire cervus, & nihil jam timere. Tum unus è bobus & ævo & consilio gravis: Facile, inquit, erat hunc qui talpa est, fallere: sed ut herum qui Argus est, lateas, hoc opus hic labor est. Mox deinde introgreditur herus. Qui ut servi negligentiam corrigat, cuncta lustrans oculis, & præsepe manu tentās, cervi deprēdit sub fœno cornua. Inclamat famulos: accurrunt, feram occlūdunt, capiunt.

MORAL. *In adversis rebus & periculis, latebræ difficiles sunt inventu, aut quia miserot, ut cœpit fortuna exagitat, aut quas ipsi metu impediti & inopes consilii, semet imprudentia produnt.*

De Leone & Vulpecula.

LEo ægrotabat, visebāt animalia, una officiū differente vulpecula. Ad hanc legatum mittit leo,

Digitized by Google

cum epistola, quæ venire admoneat: gratissimam rem ægroto fore, ejus unius præsentiam. Nec quicquam periculi fore cur vulpecula timeat: leonem enim primùm quidem amicissimum esse vulpeculæ ideoque percupere ejus colloquium. Deinde ægrotum esse & decumbere, ut etiam si id quod non erat, velit, nocere tamen non queat. Rescribit vulpecula, optare se ut leo convalescat, idq; oraturam superos. Ceterùm minimè visuram, terreri enim vestigiis, quæ quidem vestigia cùm omnia sint antro leonis adversa, & nulla aversa, eam rem indicium esse, multum quidem animalium introisse, sed exisse nullum.

Horatius:

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent
Omnia te adversam spectantia, nulla retrorsum.

MORALE. *Cave fidem habeas verbis: ni caveris, sapi tibi dabuntur verba. Capienda est conjectura cum ex verbis, tum ex factis, & ex his illa sunt judicanda.*

De Vulpecula & Mustela.

VVlpecula longa inedia tenuis, fortè per angustiorem rimam in cumeram frumenti repsit. In qua cùm probè pasta fuit, dein rursus tentantè egredi, distentus impediit venter. Mustela luctantem procul contemplata, tandem monet, si exire cupiat ad cavum macra redeat, quo macra intrarat.

MORAL

MORAL. *Videas complures in mediocritate latos esse atque alacres, vacuos curis, experties animi molestijs: sin bi divites facti fuerint, videbis eos maestas incedere, nunquam frontem porrigere, plenos curis, animi molestijs obrutos. Hanc fabellam sic Horatius canit.*

Fortè per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti: pasta, reursus
Ire foras pleno tentabat corpore frustra.
Cui mustela procul. Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetas arctum, quem macra subisti.

De Equo & Cervo.

EQuus gerebat bellum cum cervo. Pulsus tandem è pascuis, implorabat opem humanam. Redit cum homine, delcendit in campũ, victus anteà, jam sit victor. Sed tamen hoste victo, & sub iugum misso, ipse victor necesse est serviat homini. Equitẽ fert dorso, & frenum ore.

MORAL. *Dimicant multi contra paupertatem, quae per fortunam & industriam victa, sapè victoris iuvenit libertas. Domini quidem & victores paupertatis, servire incipiunt divitijs, quantum avaritiae flagellis, parsimonia cohibentur frenis, nec quaerendi tenent modum, nec justo quidem avaritiae supplicio, parsis rebus audent uti. Horatius de hac fabella:*

Cervus equum pugna melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit.
Sed postquam violens victor discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum repulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit improbus, atque
Servias aeternum, qui parvo nescias uti.

AESOPI FABVLAE

Hadriano Barlando interprete.

Digitized by Google

De duobus Adolescentibus.

ADoleſcentes duo obſonium apud cocum ſeſe empturos ſimulãt. Coco alias res agẽte, carnem alter è caniſtro ſurripit, dat ſocio ut ſub veſte occulat. Cocus ſurreptam ſibi carnis partem ut vidit, furti utrumque cœpit inſimulare. Qui abſtulerat, per Iovem nihil habere: is verò qui habuit, nihil abſtuliſſe identidem dejerat. Ad quos: me quidem, inquit cocus, fur nunc latet: ſed is inſpexit, is ſcit quem juraſtis.

MORAL. *Si quid peccavimus, id non ſtatim ſciunt homines: at Deus omnia videt. qui ſedet ſuper cœlos, & intuetur abyſſos. Quod ſi cogitent homines: ſuppreſſiùs prudentiúſque peccabitur.*

De Cane & Lanio.

CAnis in macello quum lanio carnem abſtuliſſet, in pedes ſeſe continuò quantum potuit, cõjecit. Lanius jactura rei perculſus, primùm tacuit: deinde animum recipiens, ſic procul acclamitavit. O furaciſsime, curre tutus: impunè tibi licet: turus enim es nunc ob celeritatem, poſthac autẽ cautiùs mihi obſervaberis.

MORAL. *Hæc fabula ſignificat, plerosq; omnes tum demum fieri cautiores, ubi damnum acceperint.*

De Cane & Ove.

CAnis ovã in jus vocat, panem ex mutuo debere clamitans: illa it inficias. Milvus, lupus vultur accer-

accersuntur; rem affirmant, Damnatur ovis, damnatam canis rapit ac deglubit.

MORAL. *Falsis testimoniis opprimi quamplurimos, cùm nemo nescit, tum hac quàm optimè docet fabellula.*

De Agno & Lupa.

AGno comitanti caprum, lupus fit obviam, rogitat, cur relicta matre, olidum potiùs sequatur hircum: suadetque, ut ad distenta lacte matris ubera redeat, sperans ita fore, abductum ut laniet. Ille verò: Mater me, ô lupe, inquit, huic commisit, huic summa cura servandi data est. Parenti potiùs quàm tibi obsequendũ qui me seducere istis dictis postulas, seductum mox discerpere.

MORAL. *Noli omnibus fidem habere: multi enim dum aliis videntur velle prodesse, sibi interim consulunt.*

De Adolescente & Cato.

CVm adolescens quidam in deliciis amoribusq; usurpasset catum. Venerem precibus fatigavit ut catum in fœminam transfiguraret. Commiserescit, & audit orantem Venus, fit metamorphosis, quæ adolescenti miserè amanti perplacuit, nempe tota sucri plenula, tota candidula, tota elegantula. Itur deinde in cubiculum, ridetur, luditur, Nec verò ita multò post, pcupiens experiri Dea, nunquid catulus cũ corpore mutasset & mores, pimpluviũ immittit musculũ: ibi risu prorsus atq; ludo res digna accidit.

Conspectam

Digitized by Google



Digitized by Google

Iorsum reclinat : quibus cùm ille deprimeretur. Me miserum, inquit, merito meo sic nunc exerceor qui dudum laboranti asino opitulari nolui.

MORAL. *Monemur hac fabella, ut oppressis subveniamus amici. Ortus noster, inquit Plato, partem sibi patriæ vendicat, partem amici.*

De Carbonario & Fullone.

FVllonem invitabat carbonarius, ut secũ in unis ædibus habitaret. Fullo, non est, inquit, mi homo, istuc mihi vel cordi vel utile: vereor enim magnopere, ne quæ ego eluá, tu reddas tam atra, quàm carbo est.

MORAL. *Monemur hoc apologo, cum inculpatis ambulare. monemur scelerator um hominum consortia, veluti pestem quandã devitare. Trahunt, inquit Campanus, hominem sodalitia. commercia etiam in mores penetrant, & perinde quisq; evadit, ut quibus cum versatur.*

De Aucupe & Palumbo.

IT venatum auceps, videt nidulantem procul in altissima arbore palumbum, appro perat: denique insidias molitur; premit fortè calcibus anguem: hic mordere, ille improviso exanimatus malo: Me miserum, inquit, dum alteri insidior, ipse dispereo.

MORAL. *Significat hac fabula, nonnunquam eos suis artibus circumvenire qui res novas molinuntur.*

De Buccinatore.

BVccinator quidã ab hostibus capitur, abducitur trepidare ille, supplicare, ut parcát innoxio, si quidẽ nihil unquá armorũ præter unam buccinam

Digitized by Google

~~G210.42.120~~ KC15709

The Gift of
Marc[illegible]nt B[illegible]
[illegible]
Digitized by Google



Digitized by Google

ctam ilicò bestiolam insequitur muliercula. Venus indignans, fœminæ vultus iterum in catum, cum pedibusque manus, cum parvis brachia mutat cruribus, & cauda est mutatis addita membris.

MORAL. *Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt. Nimisq; difficile est assueta relinquere. Naturam expellas furca tamen usque recurret, inquit Horatius.*

De Patre & filijs.

COmplures habebat agricola filios adolescẽtulos, iisq; inter se discordes fuere: quos pater elaborans trahere ad mutuum amorem, appositio fasciculo jubet singulos brevi circundatum funiculo effringere; imbecilla ne quicquam conatur ætatula. Solvit parens, redditq; singulis virgulam, quá cùm pro suis quisque viribus facilè frangeret: O, inquit, filioli, sic concordes vos vincere poterit nemo: Sed si mutuis volueritis sævire vulneribus, atque intestinũ agitare bellum, eritis tandẽ præda hostibus.

MORAL. *Docet hic apologus, concordia res parvas crescere, discordia magnas dilabi.*

De Rustico & Equo.

RVsticus equum vacuum, anumq; sarcinulis egregiè onustum, producit ad viam: defessus asellus, equum sibi onera ut adjuvet orat, si salvum velit. Negat facturum equus: Asellus tandem sarcinæ pondere gravatus procumbit, moritur. Herus omne onus, mortui quoque aselli corium, in equi dorsum

dorsum reclinat: quibus cùm ille deprimeretur. Me miserum, inquit, merito meo sic nunc exerceor qui dudum laboranti asino opitulari nolui.

MORAL. *Monemur hac fabella, ut oppressis subveniamus amici. Ortus noster, inquit Plato, partem sibi patria vendicat, partem amici.*

De Carbonario & Fullone.

FVllonem invitabat carbonarius, ut secũ in unis ædibus habitaret. Fullo, non est, inquit, mi homo, istuc mihi vel cordi vel utile: vereor enim magnopere, ne quæ ego eluá, tu reddas tam atra, quàm carbo est.

MORAL. *Monemur hoc apologo, cum incultis ambulari, monemur sceleratorum hominum consortia, veluti pestem quandã devitare. Trahunt, inquit Campanus, hominem sodalitia commercia etiam ita mores penetrant, & perinde quisq; evadit, ut quibus cum versatur.*

De Aucupe & Palumbo.

IT venatum auceps, videt nidulantem procul in altissima arbore palumbum, appro perat: denique insidias molitur: premit fortè calcibus anguem: hic mordere, ille improviso exánimatus malo: Me miserum, inquit, dum alteri insidior, ipse dispereo.

MORAL. *Significat hac fabula, novumquam eos suis artibus circumvenire qui res novas moliuntur.*

De Buccinatore.

BVccinator quidã ab hostibus capitur, abducitur trepidare ille, supplicare, ut parcãt innoxio, si quidẽ nihil unquá armorũ præter unam buccinam

Digitized by Google

gestaverit, hominem ne potuisse quidem occidere; nedum voluisse. Illi contrà murmure tum sævo, tũ verberibus intonant: Nihil agis scelus, maximè noces, atque nunc hîc trucidabere, quòd cùm ipse (ut fateris) sis rei militaris imperitus, cornu isthoc tuo aliorum excitas evibrasque animos.

MORALE. *Gravissimè peccant nonnulli, qui ad mala satis pronis principibus, ut iniquè agãt, consulunt, atq; hujusmodi quædam ad illorum aures occinunt: Quid? etiam dubitas? an te principem esse oblitus es? an non tibi quod libeat licet? An legibus major in te legirupæ nomen cadere haud potest: qui ipsis etiã dominaris legibus Tui nihil possident, quod tuum non sit: tuum potes & servare & perdere, tibi fas est opibus dignitateq; augere quẽ visum sit. Fas est ubi libuerit adiuvare, alios alii vel damnant, vel commendant: tibi nihil non honestissimum futurum.*

De Lupo & Cane.

LVpus cani ante lucem in sylva forte fortuna sit obviam, salutat, adventum gratulatur: denique rogat quo pacto tam sit nitidus. Cui ille: Herilis cura hoc efficit, herus me blandientem sibi demulcet, de mensa pascor herili nitidissima. Nunquam sub dio dormito: tum universæ familiæ non dici potest quàm sim gratus. Næ tu (inquit lupus) multò es felicissimus ô canis, cui tam benignus & comis contigit herus, quo cum ô utinam commorari & mihi liceat, nullũ me animantiũ esset uspiam fortunatius. Canis novi status cupidissimum videns lupũ effecturum se pollicetur, ut hereat in parte aliqua apud herum, modò de pristina ferocia aliquid remittere,

Digitized by Google

mittere, & servitutem servire velit. Stat sententia lupo: libitum est deambulare ad villam: sermones edunt in itinere prorsus jucundissimos. Posteà verò quàm illuxit, contritum canis collum videns lupus: Quid sibi vult, inquit, ô canis tua ista hæc prorsus depilata cervix? Solebam, inquit ille, feroculus notis pariter & ignotis allatrare, obmordereq; nonnunquam: id ægrè ferens herus, crebris me tundebat verberibus, prohibens etiam, ne quem præter furem lupumq; adorirer. Ego sic vapulando victus sum & mitior factus, hocq; genialis sævitiæ servavi signum. Lupus hoc audito, Ego (inquit) heri tui amicitiam tanti non emo. Vale igitur ô canis cum tua ista servitute: mihi mea potior est libertas.

MORAL. *Optabilius est in humilicasa dominum esse & panê atrum vorare, quàm in amplissima regia oppiparis mensis frui. & obnoxium trepidumq; ûe agere, nam libertas sublimi exulat aulæ, ubi accipienda venit, & mussitanda injuria est.*

De Agricola & canibus.

AGricola quum ruri plusculos hyemasset dies, cœpit tandem necessariarum rerum penuria laborare. Interficit oves, mox & capellas, postremò boves quoque mactat, ut habeat quo inedia penè exhaustum corpusculum fustentet. Id videntes canes, salutem fuga quærere constituunt, sese enim non victuros diutius, quâdone bobus quidê, quorũ in opere

Digitized by Google

ruſtico faciundo utebatur opera, perpercerit herus.

MORAL. *In quam domum mercedis gratia te tradas, vidi. Nonnulli inhumaniſsimi ſunt heri: multis etenim hodie eo demen-tia prolabuntur, ut vel ſervos in fortuito malo & damno libuntò malleus.*

De Vulpe & Leone.

VVlpecula quæ leonis immanitatem inſuetam horrebat, ſemel atque iterum id fortè animalis contemplata, trepidare & fugitare, cùm jam tertiò obtuliſſet ſeſe obviam leo, tantum abſuit ut metueret quicquam vulpes, ut confidenter illum adiverit, ſalutaveritque.

MORAL. *Omnes nos conſuetudo audaciores facit, vel apud eos quos anteà aſpicere vix auſi fuimus.*

De Vulpe & Aquila.

VVlpeculę proles foras excurrerat: ab Aquila comprehenſa, matris fidem implorat: accurrit illa, ut captivam prolem dimittat aquilam rogat, aquila nactus prædam, ad pullos ſubvolat: vulpes correpta face, quaſi illius munitiones incendio abſumptura eſſet inſequitur: cùm jam arborem conſcendiſſet, & ipſa nunc te, inquit, tuoſque ſi potes, tuere: trepidans aquila incendium dum metuit: parce, inquit, mihi parviſque liberis: tuum quicquid habeo reddidero.

MORAL. *Per aquilam potentis atque audacis animi homines intellige: per vulpem pauperculos, quos calumnijs premere, contumelijſq; afficere, divitibus aquè ſtudium eſt. Verùm quandoque ſua & formicæ ira, impotentes ſi acceptum interdum probè ulciſcuntur injuriam.*

De

De Agricola & Gruibus.

GRuibus anseribusq; lata depascentibus, laqueũ prætendit rusticus, capiuntur grues, capiuntur anseres, capitur & ciconia. Supplicat illa, innocentẽ sese clamitans, & nec gruem nec anserem esse, sed avium omnium optimam, quippe quæ parenti sedulò semper inservire, eundemq; senio confectum alere consueverit. Agricola, horum, inquit, nihil mẽ fugit: verùm cum nocentibus postquã te cepimus, cum his quoque morieris.

MORAL. *Qui flagitium committit, & is qui impuris se adjungit socium, pari pœna plectuntur.*

De Gallo & Cato.

VEnit ad gallum comedendum catus: non satis autem habens ad nocendum caussæ, gallum criminari occipit, obstreperam esse avem dicitans, utpote quæ voce tam acuta noctu dormientes homines expergefacit. Ille se innocentem ait, cùm sic excitet ad opera mortales. Catus contrà intonat: Nihil agis sceleste, cum matre rem habes, nec sorore abstines: id gallus quoque expurgare cùm niteretur. Nec hoc, inquit, perseverantius sæviens catus, quicquam facis: tu mihi hodie discerperis.

MORAL. *Verum dictum esse ait Guilielmus Gaudanus, ut canem cædas facilè invenire baculum. Malus, si libitum fuerit a quo jure quãque injuria te præcipitem dabit.*

De Opilione & Agricolis.

Digitized by Google

PVer editiore pratulo oves pascebat, atq; per jocũ terq; quaterque lupum adesse clamitans, agricolas undique exciebat: illi sæpiùs elusi, seriò auxilium imploranti, dum non subveniunt, fiunt oves prædæ lupo.

MORAL. *Si mentiri insueverit quispiam: huic si quando vera narrare occeperit, haud facilè habebitur fides. Superiori apologo finitimus est ille apud Horatium de Plano scurra jocus.*

Nec somnel irrisus, trivio attollere curat
Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
Lachryma, per sanctum juratus dicat Osirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quare peregrinum, vicinia rauca reclamat.

De Aquila & Corvo.

RVpe editissima in agni tergum devolat aquila: videns id corvus, imitari (velut simius) gestit aquilam: in arietis vellus se demittit, demissus impeditur, impeditus comprehenditur, comprehensus projicitur pueris.

MORAL. *Non aliorum, sed sua se quisque virtute æstimet. Tu te pede metire, inquit Horatius. Id velis, id tentes quod possis.*

De Cane invido & Bove.

PRæsepio fœni pleno decumbebat canis: venit bos ut comedat: Ille sese surrigens, prohibere, Bos dii te cum tua isthac invidentia perdant, inquit, qui nec fœno vesceris, nec eo me vesci sinis.

MORAL. *Eo sunt ingenio plerique, ut aliis inviderent quod ipsi mentis inopia assequi nequeunt.*

De Cornice & Ove.

STrepitat in oviculæ dorso cornicula. Ovis, cani inquit, si sic obstreperes, ferres infortunium.

At

t cornix: scio quibus insultem, placidis molesta, evis amica.

MORAL. *Impotenti & syncero perpetua est cum malis paracertatio. Illiditur solo innocentissimus quisque: nocentis verò aferocis hominis aures adstrepit nemo.*

De Pauone & Luscinia.

PAvo apud summi Iovis sororem & cōjugem Iunonem, queritur, Lusciniam suavè cantillare, se raucam ravim ab omnibus irrideri. Cui Iuno, os sua à diis cuique. Luscinia cantu, tu plumis ngè superas: unumquemque sua sorte decet esse ontentum.

MORAL. *Quæ divi largiuntur grate sumamus animo, neque ajora quæsierimus Superi temerè agunt nihil.*

De Mustela senicula & Muribus.

MVstela præ senio viribus carēs, mures jam, ita ut solet, insequi non valebat: meditari cœpit olum: in farinulæ se colliculum illatebrat, sic sperās ore, ut citra laborem venetur: accurrunt mures, & arinam esitare dum cupiunt, ad unū omnes à mustela vorantur.

MORAL. *Vbi viribus quispiam destitutus fuerit, ingenio opus st. Lysander Lacedæmonius subinde dicere solebat, quò non perveniret leonina pellis, vulpinam assuendam esse quod sic aucidiùs lixeris: Vbi virtus non satis potest, adhibenda est astutia.*

APOLOGVS

ex Mantuano traductus.

RVsticus quidam ex malo, quam in proximo habebat agello, sapidissima quotannis legebat poma: hero lecta donabat urbano: qui

Digitized by Google

illectus incredibili pomorũ dulcedine, malũ tand
ad se transtulit, ea veterrima repentè exaruit, atq; il
poma pariter & malus perière. Quod cùm patrif
milias nunciaretur, Heu difficile est, inquit, ann
sam transplantare arborem, satis superque fuerat,
frenos meæ novissem imponere cupiditati, fruct
ramo decerpere. Hanc fabellam sic Mantuanus:

Rusticus ex malo dulcissima poma legebat,
Vnde dare urbano dona solebat hero.
Ast herus illectus frugum dulcedine, malum
Transtulit in laribus proxima rura suis.
At quia malus erat senior transtata, repentè
Aruit, & proles cum genitrice obiit.
Heu malè trãsfertur senio cùm induruit arbo
Inquit herus, fuerat carpere poma satis.

MORAL. *Qui nimium sapiunt, atque inconcessa sequun*
tur, Desipiunt, cohibet quis sua vota, sapit.

FABVLAE M. PETRO

Scoto viro ornatis. eidemq; humanis. scriptæ à Barlando.

De Leone & Rana.

AVdire vocem visus leo, profilit, subsistit
sine trepidatione, magni quippiam exsp
ctãs egreditur tandẽ aquis ranula, leo d
posito metu approperãs, bestiolã proculcat ped

MORA

MORAL. *Vetat hic apologus inanes timores, ut illa Guilielmo audano versa fabula de partu montium.*

De Formica.

SItiens, venit ad fontem ut biberet formica, incidit fortè in puteum: opitulatur eminus ex arbore dejecto ramo columba. Ramum conscendens rmica servatur. Adest columbam ut capiat auceps: on sinit formica, aucupis pedem arripit mordicus, olat columba.

MORAL. *Docet hic fabella: praeclarè meritis referendam gratiam.*

De Avibus.

GEns avium cùm liberè vagaretur, optabat sibi dari regem. Pavo se in primis dignum qui eliberetur putabat, quia esset formosissimus: hoc in reem accepto, pica, O rex inquit, si te imperante, aaila nos præstrenuè (ut solet) insequi cœperit, quo lam modo abiges? quo nos pacto servabis?

MORAL. *In principe non tam forma quàm corporis fortitudo ectanda est & prudentia.*

De Aegroto & Medico.

MEdicus curabat ægrotum: ille tandem moritur, Tum ad cognatos medicus: Hic, inquit, temperantia periit.

MORAL. *Bibacitatem & libidinem nisi qui maturè reliquerit, aut nunquam perveniet ad senectutem, aut perbrevem est bituros senectutem.*

Digitized by Google

De Leone & aliis.

LEo, asinus, vulpes eunt venatum: capitur amp
venatio, capta partiri jussa. Asino singulas si
gulis partes ponente, irrugit Leo, asinum rapit
laniat. Posteà vulpeculæ id dat negotii, quę astutio
cùm leoni longè optima posita parte, sibi vix min
mam particulam reservasset, rogat leo à quo sic do
cta sit. Cui illa, Hujus me (inquit) calamitas docu
mortuum asinum ostendens.

MORAL. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

De Hædo & Lupo.

FEnestra prospectans hœdus, prætereuntem lu
pum conviciis incessere audebat. Cui lupus: N
tu, ait sceleste, mihi conviciaris, sed locus.

MORAL. *Et tempus & locus sæpè audaciam addunt homi*

De Asino.

ASinus de hortulani sævitia querens, Iovi sup
plicat alium dari herum. Exaudire Iupiter vo
ta asini, dat tegularium: apud quē cùm tegulas gra
vioraque tergo vectaret onera, accersit rursum Io
vem, orat dari qui mitior sit. Ridere Iupiter, ille n
men non destitit instare, orare usque adeò, donec
perpelleret. Dat ille coriarium, quem ubi pernov
sellus. Me miserum, inquit, qui dum nullo su
contenti

contentus domino, in eum incidérim, qui nec corio quidem meo, quantum auguror, parcet.

MORAL. *Semper damnamus quæ præsentia sunt, & nova appetimus, quæ, ut dici solet, veteribus non sunt potiora.*

De Anu & Ancillis.

ANus quædam domi habebat ancillas complures, quas quotidie antequam lucesceret, ad galli gallinacei, quem domi alebat, cantum excitabat ad opus: ancillæ quotidiani tandem negotii commotæ tædio, gallum obtruncant, sperantes jam necato illo, in medios sese dies dormituras: sed hæc spes miseras frustrata est. Hera enim ut interemptum gallum resciuit, intempesta deinceps nocte surgere jubet.

MORAL. *Non pauci gravia malum, dum student evitare, in alterum diversum incidunt. Pervulgatum est, Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdim.*

De Asino & Equo.

ASinus beatũ putabat equũ quòd pinguis esset, & in otio degeret: se verò infœlicem dicebat, quòd macilentus esset ac strigosus, quotidieq; ferendis oneribus ab immiti hero exerceretur. Haud multò post ad arma conclamatũ est. Tum equus non equitẽ dorso, non frænum reppulit ore, nec telum corpore: hoc viso, asinus magnas diis gratias agebat, quòd non equum se, sed asinum fecissent.

Digitized by Google

MORAL. *Miseri sunt quos vulgus beatos judicat: & non pauci beati, qui se miserrimos putant. Sutor crepidarius regē dicit felicem, quem omnium rerum compotem videt, non considerans in quantas rex felicitudines distrahatur, dum interim ipse optima cū paupertate cantilat.*

De Leone & Capra.

EDita rupe ambulantem capram fortè conspicatus leo, monet ut potiùs in viride pratum descendat, Capra facerem fortasis, inquit, si tu abesses, qui mihi non istud suades, ut ego inde ullam capiā voluptatē, sed ut tu habeas quod vores famelicus.

MORAL. *Omnibus ne habeas fidem. Quidam enim non tibi, sed sibi consulunt.*

De Vulture aliisq; Avibus.

ANnuum se natalē celebrare adsimulat vultur, aviculas ad cœnam invitat: veniunt pleræque omnes, venientes magno plausu favoribusque accipit, acceptas laniat vultur.

MORAL. *Non sunt amici omnes qui blandè dicunt, aut benignè se facere velle simulant. Latent sub hoc melle venena.*

De Anseribus.

ANseres unà cum gruibus agrum vastabāt, quibus auditis, rustici protinus in illos feruntur: rusticos conspicatæ grues, avolant: capiuntur anseres, qui impediti corporis oncre, subvolare non poterant.

MORAL. *Expugnata ab hostibus urbe facilè se subducit inops: ad dives servatur captus. In bello divitiæ magis onerī sunt quam usui.*

De

Digitized by Google

De Iove & Simia.

IVpiter scire percupiens, quisnam mortalium scitissimos ederet liberos, cōvocare jubet quicquid uspiam est animantium. Concurritur ad Iovem undique, aderat jam alituum pecudumque genus, inter quos & simia deformes catulos brachio gestās cùm advenisset, à risu temperare nemo potuit; quinetiā Iupiter ipse profusè admodum risit. Ibi continuò simia: Imò, inquit, novit & Iupiter judex noster, catulos meos magnopere omnes quotquot adsunt præcellere.

MORAL. *Suum cuique pulchrum, ut est adagium. Et alibi apud Theocritum in Idyllijs. Quæ nonnunquam sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.*

ANIANI FABVLAE Hadriano Barlando interprete.

De Quercu & Arundine.

FAstus olim atq; adeò insolentiæ plena quercus arundinem aggressa est: si nunc, inquiēs, pectus animosum tibi, procede agedum ad pugnam, ut noster duarū eventus ostendat utra viribus præstat. Arūdo quercus cantū, exultationē, fortitudinisq; jactationē vanā nihil mirata, sic respōdit: Certamē nunc abnuo, nec meæ sortis me piget. Nā etsi in omnē partē mobilis, tēpestates tamen pvin-

Digitized by Google

co sonoras. Tu si semel vasto rex AEolus antro luctantes emiserit ventos, cõcides & mihi tũ rideberis.

MORAL. *Declarat hæc fabella, non eos semper fortissimos esse, qui nulla etiam lacessiti injuria, aliis insultant.*

De Piscatore & Pisciculo.

PIscator jacto in aquam hamo, cibis illito, piscicu. lum eduxit: orat obsecratq; captivus, se minutulum ut abire sinat, & adolescere, ut posteà majore potiatur. Piscator: ego, inquit, spem precio non emo quippe qui eo fuerim ingenio semper, ut quicquid possem, mallem auferre potiùs in præsentia.

MORAL. *Hæc nos monet fabella, ne certa unquam incertorum spe unguibus amittamus: quid enim stultius, ut est apud Cicero. nem, quàm incerta pro certis habere?*

De Formica & Cicada.

APpetente hyeme, frumentum in areolem ad solem trahebat formica: videt id cicada, accurrit, rogitat granum. Formica: Cur non inquit, & tu meo exemplo æstate trahis quodcunque potes, atque addis acervo? Respondet illa, sibi id tempo cantando transigi. Ridens formica: Si, ait, æstate cãtitare soles, meritò nunc esuris.

MORAL. *Monemur hac fabula, dum adhuc vobur corporis adest, quærere ea quibus imbecilla sustẽtetur senectus. Per hyemem senectutem intellige, per æstatem adolescentiam & florẽ illũ ætatis.*

De Leone & Tauro.

Leonem

LEonem fugitabat taurus, in hircum incidit, is cornu & caperata minitabatur fronte, ad quem plenus iræ taurus: Non tua, inquit, in rugas contracta frons me territat, sed immanem metuo leonem, qui nisi tergo hæreret meo, jam scires non ita parvã rem esse pugnare cum tauro, & nostro sequi de vulnere sanguinem.

MORAL. *Calamitosi non est addenda calamitas: sat miser est qui semel est miser.*

FABVLAE ANIANI

Gulielmo Hermanno ordinis divi Augustini canonico interprete.

De Nutrice & Lupo.

NVtrix minatur puerum plorantem (ni taceat) dari lupo. Lupus id fortè audit: spe cibi manet ad fores. Puer tandem sileſcit, obrepente somno. Regreditur lupus in sylvam jejunus & inanis. Lupa ubi sit præda scisitatur. Gemebundus ille: Verba, inquit, mihi data sunt. Puerum plorantẽ se abjicere minabatur nutrix, at fefellit.

MORAL. *Fœmina non est habenda fides.*

De Testudine & Aquila.

CEperat testudinẽ tædium reptandi. Si quis eã in cœlũ tolleret, pollicetur baccas maris rubri. Sustollit

Digitized by Google

Sustollit eam aquila, poscit præmium. Non habentem fodit unguibus. Ita testudo quæ concupiit videre astra, in astris vitam reliquit.

MORAL. *Tua sorte sis contentus. Fuère nonnulli, qui si mansissent humiles, poterant esse tuti: facti sublimes, inciderunt in pericula.*

De cancris, matre & filio.

CAncrum retrogradū monet mater antrorsum ut eat. Filius respondet: Mater, inquit, i præ, sequar.

MORAL. *Nullum reprehenderis vitii, cujus ipse quem reprehendi.*

De Sole & Aquilone.

SOl & ventus Aquilo certant, uter sit fortior. Conventum est experiri vires in viatorem, ut palmam ferat, qui excusserit manticam, Boreas horrisono nimbo viatorem aggreditur: at ille non desistit, amictum gradiendo duplicans. Adsunt vices solis. Qui nimbo paulatim evicto, emollitur radios. Incipit viator æstuare, sudare, anhelare. Tandem progredi nequiens, captat frigus opacum, atque sub umbroso nemore abjecta mantica, resedit. Ita Soli contigit victoria.

MORAL. *Quicum certes etiam atque etiam vide. Nam etsi tu fortior es, est fortasse alius te fortior. Aut si non fortior, certè callidior, ut consilio suo tuum vincat robur.*

De

De Asino.

ASinus venit in sylvam, offendit exuvias Leonis: quibus indutus, redit in pascua, greges armentaque territat & fugat. Venit qui perdiderat, quæritat suum asinum. Asinus viso hero occurrit, imo cum rugitu suo incurrit. At herus prehensis quæ exstabant auriculis. Alios licet inquit, fallas: ego te aselle mi probè novi.

MORAL. *Quod non es, nec te esse simules. Non doctum, cùm sis indoctum: non divitem, non nobilem, cùm sis pauper & ignobilis, te jactes. Vero enim comperto, videberis.*

De Rana & Vulpe.

RAna egressa paludem, in sylvis apud feras medicinam profitetur. Ait se nec Hippocrati, nec Galeno cedere. Cæteris habentibus fidem, illusit vulpes. An hæc, inquit, medicinæ habebitur perita, cui sic pallet os, quin curet se ipsam? Sic illusit vulpes. Est enim ranæ os cæruleo colore.

MORAL. *Stultitia est, profiteri quod nescias, & ridiculum.*

De Cane mordace.

CAni subinde homines mordenti, ut sibi quisq; caveret, alligarat dominus nolam. Canis ratus virtuti suæ tributum decus, suos populares despicit. Accedit ad hunc Canem aliquis jam ætate atque autoritate gravis, monens eum ne erret. Nam ista, inquit, nola data est tibi in dedecus, non in decus.

MORAL.

Digitized by Google

MORAL. *Gloriosus interdum sibi ducit laudi, quod ipsi est vituperio.*

De Camelo.

CAmelus sui pœnitens, querebatur tauros insignes ire geminis cornibus, se inermem, objectũ cæteris animalibus. Orat Iovem donari sibi cornua. Ridet Iupiter stultitiam cameli, nec modò votum negat, verum & auriculas bestiæ decurtat.

MORAL. *Sit quisque fortunæ contentus suæ. Etenim multi fortunam secuti meliorem, in currere pejorem.*

De duobus Amicis & Vrsõ.

DVo amici faciunt iter. Occurrit in itinere Vrsus: unus arbore conscensa, periculum evitat. Alter cùm spes fugæ non esset, collidit se humi. Accedit belua, contrectat jacentem, os explorat & aures. Homine spiritum continente ac motum, ursus, qui mortuis parcit, ratus cadaver esse, innocuus discedit. Percunctanti posteà socio, quidnam bestia dixisset jacenti in aurem? hoc monuisse ait, ne unquam cum illiusmodi amicis iter faceret.

MORAL. *Rara avis in terris nigroq; simillima cygno, fides est. Verum amicum res adversæ & pericula monstrant.*

De Equite calvo.

EQues calvus illigârat pileo comã fictitiam. Venit in campum acri spirante Borea: ac dum malè observat capillatũ galerum, subitò apparet calvities. Tollit

Tollit cachinum corona, nec non & ipse ridet. Quid novi est, inquit, avolare capillos alienos, cùm olim defluxerint qui fuerant mei?

MORAL. *Bellè fecit eques, qui non est indignatus, sed cum ridentibus risit. Socrates verò cùm accepisset in foro alapam, hoc modo respondit: Molestum esse nescire homines, quando debeant prodire cum galea.*

De duabus Ollis,

DVæ ollæ stetere in ripa, altera erat lutea, altera ærea. Vtramque tulit vis fluvii. Luteæ collisionem metuenti, respondit ærea, ne quid timeat. Sese enim ne collidantur, satis curaturam. Tum altera: seu me, inquit tecum, seu te mecum flumen collisserit, cũ meo utrumque fiet periculo: Quare certum est à te separari.

MORAL. *Satius est vivere cum socio pari, quàm cum potentiori. A potentiori potest esse periculum tibi, non illis à te.*

De Rustico & Fortuna.

RVsticus cùm araret, offendebat in sulcis thesaurũ. Gratias agit telluri quæ hunc dedisset. Fortuna videns nihil honoris haberi sibi, ita est secum locuta: Thesauro reperto, stolidus mihi non est gratus: at eo ipso thesauro postea amisso, me primam omnium votis & clamore sollicitabit.

MORAL. *Beneficio accepto grati simus bene de nobis merenti. Ingratitudo enim digna est, etiam beneficio quod jam acceperit, privari.*

De

Digitized by Google

De Tauro & Capro.

FVgit leonem taurus, venit ad ſpeluncam, quærens latibulum. Intranti occurrit cornibus, qui intùs erat, caper. Tum iis verbis bos emugiit. Tu equidem cornibus tuis meam excipis fugam. Verùm ſi abierit quem fugio, quantum à viribus tauri diſtet caper, tum ſenties.

MORAL. *Qui neſcit miſeris eſſe ſuccurrendum, aut certè non nocendum, caper eſt. Quiſquis enim à miſerorum injuria non temperaverit, ſi, ut eſt fortuna mutabilis, miſeris rediverit felicitas, minorum miſeris nocuiſſe eum pœnitebit.*

De Simia & ejus Prole.

OMnes animantes ſuo conſpectui Iupiter adeſſe juſſerat, cujuſnam ſobolis eſſet pulcherrima judicaturus. Properant feræ, advolant aves, nec non ad id certamen adnatant piſces. Omnium poſtrema feſtinat Simia, trahens ſecum ſuam prolem. Cujus quidem prolis fœdas nates cunctis ridentibus, ſic infit: Maneat cui faverit Iupiter, victoria. Meo tamen judicio, hic meus natus eſt bellus, & omnium natis jure præferendus. Hoc dicto, ſubriſit & Iupiter.

MORAL. *Et nos, & noſtra nobis placent: Sed de nobis, & de noſtris factis, aliorum ſit judicium, ne, ſi ipſi judicemus, cum ſimiarijdeamur.*

De Pavone & Grue.

Pavo

Avo & grus unà cœnant. Pavo se jactat, eam dam ostentat, gruem contemnit. Grus fate- pavonem formosis esse pennis, se tamen, dū tectis supervolat pavo, animoso volatu pe- trare nubes.

MORAL. Nemo alterum contemserit. Sua cuique dos, sua cui- que est virtus. Qui tua virtute caret, forsan habet qua careas tu.

De Quercu & Arundine.

VAlidiore noto effracta quercus, in flumē præcipitatur. dum q; fluitat, horret forte ra- mis suis in arundine: miratur arundinem in tan- to turbine late incolumem. Hæc respondet, ce- dendo & declinando se esse tutam, inclinare ad notum, ad boream, ad omnem flatum. Nec mirum esse quòd quercus exciderit, quæ non ce- dere, sed resistere concupivit.

MORAL. Potentiori ne resistas, sed hunc cedendo & ferendo vincas. Quod pulchrè docet facundissimus poëtarum Virgilius: Vate deâ, quò fata trahunt, retrahimusque sequamur. Quicquid erit superanda omnis fortuna ferendo est.

De Tigride & Vulpe.

VEnator, jaculis agitabat feras. Tigris jubet oēs feras absistere, seseq; unam ait bellū con- fecturam. Pergit venator jaculari, tigris oppido lauciatur. Fugientem è prælio, telumq; extra- hentem percontatur vulpes, quisnam valentem beluam tam valdè vulnerasset. Respondet se au- torem vulneris haud nosse, verùm ex vulneris

magnitudine capere se conjecturam, alique fuisse virum.

MORALE. *Fortes plerumque sunt temerarij: & ars vim, genium fortitudinem superat.*

De Tauris & Leone.

QVatuor fuére tauri, quibus placuit com munem ipsorum esse salutem, & comm ne periculum. Videt leo simul pascentes, & es rit, tamen conjunctos aggredi metuit. Primù dat operam verbis fallacibus segregare, tum s gregatos laniat.

MORALE. *Concordia nihil firmius, discordia etiam for reddit imbecillos.*

De Abiete & Dumo.

FErtur olim abies despicere dumos, jacti se proceram esse, locari in ædibus, cum ve stare in navibus: dumos autem humiles, vile nulli usui idoneos. Quorum quidem tale fi responsum: Tu sanè abies, tuis gloriare bon & nostris insultas malis. Verùm nec tua refe mala & nostra præteris bona. Cùm tu son detruncare securi, quàm velles tum nobis, securi sumus, esse te similem?

MORAL. *Et summæ fortunæ sua insunt mala, & humil tunæ, sua bona. Vt nil aliud nunc dicam, hæc secura est ac tut nec extra metum, nec caret periculo. Horatius canit in Lyrici*

— Celsæ graviore casu,
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes.

Digitized by Google

De Piscatore & Pisciculo.

SVbductus hamo pisciculus, orat piscatorem se dimitti. Ait modò se à matre fusum, atq; mensam, cùm adhuc minutus sit, non multum iuvare. Si dimittat posteà grandem ultrò ad hamum ejus rediturum. Piscator negat se dimittere prædam certam, licet exiguam. Quid habeam, inquit, scio, quid fim habiturus nescio. Ego spem precio non emo.

MORAL. *Certum præstat incerto, præsens futuro: etsi nonnunquam exile commodum omissum attulit magnum.*

De alite & pullis ejus.

ALes positos in segete pullos monet, ut dū ipsa abest, diligenter attendant, si fiat sermo de occatione. Redeunti è pastu matri pulli anxij narrant, dominum agri operam illam mandasse vicinis. Respondet nihil esse periculi. Item alio die trepidi ajunt, rogatos ad metendum esse amicos. Iterum jubet illa, ut sint securi. Tertiò, ut audivit ipsum dominum cum filio statuisse, postero mane cum falce messem intrare: iam, inquit, tempus est ut fugiamus. Vicinos & amicos non timui, quia non venturos scivi. Timeo dominum, illi enim res est cordi.

MORAL. *Socordes alienis in rebus plerique sumus. Quod si ad rectè curatum velis, alteri ne mandes, sed curet ipse.*

De Avaro & Invido.

DVo homines orabant Iovem, cupidus & i
vidus, Mittitur à Iove Apollo, per hunc
eorum votis satisfiat. Dat hic utrique optan
liberam facultatem, hac conditione, ut quo
cunque petiisset alter, idipsum alter accipere
duplicatum. Heret diu cupidus, cùm nihil put
fore satis. Petit tandem non pauca, Et duplu
accipit socius. Porrò invidus hoc petit, ut ip
uno privetur oculorum, lætus socium privand
esse utroque.

MORAL. *Avaritiam quid possit satiare? Invidia verò deme
tius est nihil, quæ dum nocet alteri, sibimet imprecatur malum*

De Leone & Capella.

VIdet leo pendere dumosa de rupe capell
Suadet descendere, ut in campo thymun
salicesque carpat. Recusat capella descender
verba quidem ejus haud sanè mala, sed men
tem esse plenam doli reclamans.

MORAL. *Cogita quid quis suadeat: Multi suadent utilia, vo
tibi, sed sibi.*

De Cornice & Urna.

SItibunda cornix repperit urnam aquæ. Se
erat urna profundior, quàm ut posset à cor
nice aqua contingi. Conatus effundere urnam
nec valet. Tum lectos ex arena scrupulos inje
cat. Hoc modo aqua levatur, & cornix bibit

MORAL.

MORAL. *Interdum id quod non potes efficere vi, efficies prudentia & consilio.*

De Leone & Venatore.

Litigat leo cum venatore, suam præfert fortitudinem hominis fortitudini. Post longa rgia, venator ducit leonem ad mausoleum, in uo sculptus erat leo, caput deponēs in gremim viri. Negat fera id satis esse indicij, homines nim sculpere quod vellent, ait, quòd si & leoes forent artifices, jam virum sculptum iti sub edibus leonis.

MORAL. *Quisque quoad potest & dicit & facit, quod suę arti & causæ putat prodesse.*

De Puero & Fure.

Sedebat puer flens ad puteum. Fur rogat causam flendi. Puer dicit, rupto fune, inciisse in aquas urnam auri. Homo exuit se, insilit puteum, quærit. Vase non invento, concendit, atque ibi nec puerum, nec suam inveit tunicam. Puer quippe sublata tunica fuerat.

MORAL. *Fallantur interdum qui fallere solent.*

De Rustico & Juvenco.

Erat rustico juvencus vinculi omnis jugique impatiens. Homo astutulus, bestiæ resecat ornua. Cornibus enim petebat. Tum jungit on currui, sed aratro, ne, ut solet, herum pulret calcibus. Stivam ipse tenet, gaudens

Digitized by Google

42.120

Digitized by Google

...nunquam cor habuisse. Nam si cor ha-
..., nunquam in pœnam suam ad meas se-
...oties redisset. Sic rusticus. At omnes, con-
...nori risu, cachinnari de stultitia rustici.

...RAL. Multorum hominum tam est excors vita, ut an cor possis ambigere.

De Tauro & Mure.

Mus tauri pedem momorderat, fugiens in ...antrum suum. Taurus vibrat cornua, quæ-...stem, nusquam videt: irridet eum mus. ...inquit, robustus & vastus, non idcirco ...vis contempseris. Nunc te, & quidem gra... ...esit exiguus mus.

...RAL. Tritum est illud verbum, quod significantius nostrate diverim: Niemant en sal synen vyant verachten. *La..., nemo suum hostem floccipendat.*

De Rustico & Hercule.

Rustici currus hæret in profundo luto. Mox ...supinus Deum Herculem implorat, into... ...ox è cœlo: Inepte, inquit, flagella equos, ...se annitere rotis, atque tum Herculem vo-...: tum enim aderit Hercules vocatus.

ORAL. Nil prosunt otiosa vota, quæ sanè Deus non audit. ...temet, inquiunt, ipse, tum juvabit te Deus.

De Ansere.

...Vit anser qui ponebat ova aurea, singulis diebus singula: dominus, ut subitò fiat di-...s, anserem jugulat, sperans intus latére ga-...m. Sed anseris invento vacuo, stupet mi-...

induſtria effeciſſe, ut jam foret tutus & à cornibus & ab ungulis. Sed quid eveniet? Taurus ſubinde reſiſtens, ſpargendo pedibus, os caputque ruſtici opplet arena.

MORAL. *Sunt nonnulli ſic intractabiles, ut nulla quea arte, nullo conſilio tractari.*

De Satyro & Viatore.

SAtyrus, qui deus nemorũ olim eſt habitus viatorem nive obrutum atque algore enec tum miſertus, ducit in antrum ſuum, fovet igni ſpirantem autem in manus, percontatur cauſ ſam. Qui reſpondens, ut calefiant, inquit. Poſteà cùm accumberent, ſufflat viator in polenta. Quod cur faceret interrogatus, ut frigeſcat inquit: Tum continuò Satyrus viatorem ejicit ens: nolo, inquit, in meo ſit antro cui tam diver ſum ſit os.

MORAL. *Cave ſit in tuo convictu homo duplici ore, quique in ſermone eſt Prothem.*

De Apro & Ruſtico.

APro vaſtanti ſegetes, ruſticus præcidit auriculam. Iterum deprehenſo, præcidital teram. Et tunc quoque redeuntem capit, captum portat in urbem, deſtinatũ lautitiæ ſui patroni. Secta jam in convivio belua, nuſquam apparet cor, excandeſcente hero, & flagitante co cos, villicus reſpondet: Patrone, inquit, non e animum non apparere cor, nam credo ſtultum aprum

prum nunquam cor habuisse. Nam si cor habuisset, nunquam in pœnam suam ad meas sedes toties redisset. Sic rusticus. At omnes conivæ emori risu, cachinnari de stultitia rustici.

MORAL. *Multorum hominum tam est excors vita, ut an cor habeant possis ambigere.*

De Tauro & Mure.

MVs tauri pedem momorderat, fugiens in antrum suum. Taurus vibrat cornua, quærit hostem, nusquam videt: irridet eum mus. Quia, inquit, robustus & vastus, non idcirco, quemvis contempseris. Nunc te, & quidem gratis, læsit exiguus mus.

MORAL. *Trivium est illud verbum, quod significantius nostrate lingua diverim:* Niemant en sal synen vyant verachten. *Latinè sic, nemo suum hostem floccipendat.*

De Rustico & Hercule.

RVstici currus hæret in profundo luto. Mox supinus Deum Herculem implorat, intonat vox è cælo: Inepte, inquit, flagella equos, & ipse annitere rotis, atque tum Herculem voca: tum enim aderit Hercules vocatus.

MORAL. *Nil prosunt otiosa vota, quæ sanè Deus non audit. Juva temet, inquiunt, ipse, tum juvabit te Deus.*

De Ansere.

FVit anser qui ponebat ova aurea, singulis diebus singula: dominus, ut subitò fiat dives, anserem jugulat, sperans intus latére gazam. Sed anser in ventre vacuo, stupet mi-

ser, anxieque dehinc suspirat, ac plangit, & rem & spem perijsse.

MORAL. *Moderanda sunt vota. Curandum est, ne vel præproperi simus, vel nimij: nam & festinantia nocet: & qui plura quàm decet quærit, interdum acquirit nihil.*

De Cicada & Formica.

CVm per æstatem cicada cantat, formica suam exercet messem, trahit in antrum grana, reponens in hyemem. Sæviente bruma famelica cicada venit ad formicam, mendicat victum. Renuit formica, dictitans sese dum illa cantabat, laborasse.

MORAL. *Qui segnis est in juventa, egebit in senecta: & qui non parcit, olim mendicabit.*

De Simia & duobus ejus natis.

SImia (ut ferunt) cùm peperit gemellos, alterum diligit, alterum negligit. Erat puerpera cum gemellis. Atq; cùm incidisset terror, vitatura periculum, dilectum prehendit ulnis, quē, dum præceps fugitat, collidit petræ atque enecat, neglectus autem qui in hirsuto hæserat tergo fugientis, mansit incolumis.

MORALE. *Solet evenire, ut ipsi parentes filio quem tenere amant, præ nimia indulgentia sint mali occasio & periculi, eo, quem minus amarunt, præstante se strenuum ac probum.*

De Bove & Juvenco.

Bos

BOs jam grandis ævo, quotidie trahebat aratrum, Iuvencus laboris expers, vicinis exultat in pascuis, ac tandem insultat fortunæ senioris. Iactat se jugi ac vinculi insciũm, se liberum, se otiosum: illi attritum esse labore collum. Denique se glabrum ac nitidum: illum esse hirtum ac squalidum. Senior tum quidem nihil contrà: sed brevi pòst tempore, videt hunc insultatorem duci ad aras, ac tum hisce verbis affatur: Quò tua mollis vita pervenit? Securum istud otium redit ad securim. Iam saltem (ut opinor) potiùs suades mihi laborem qui me tuetur, quàm otium quod nunc te traxit ad necem.

MORALE. *Ad vitam rectè gerendam, opus est labore & vigilantia. Socors autem & voluptati deditus, suarum rerum quem nolet sortietur exitum.*

De Cane & Leone.

OCcurrit canis leoni, jocatur: quid tu miser exhaustus inedia, percurris sylvas & devia? Me specta pinguem ac nitidum, atque hæc non labore consequor sed otio. Tum leo: Habes tur quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam vincula. Tu servus esto qui servire potes: equidem sum liber, nec servire volo.

MORAL. *Pulchrè respondit leo: quibuslibet enim rebus, potior est libertas.*

Digitized by Google

De Piscibus.

PIscis fluvialis vi fluminis correptus est in mare. Vbi suam efferens nobilitatem, omne marinum genus vilipendebat. Non tulit hoc Phoca, sed ait, tunc fore indicium nobilitatis, si cum Phoca captus portetur ad forum. Se emptum iri à nobilibus, illum autem à plebe.

MORAL. *Multi sic capti sunt libidine gloriæ, ut sese ipsi prædicent & jactent. Sed laus sui oris non datur homini laudi, at excipitur cum auditorum risu.*

De Pardo & Vulpecula.

PArdus, cui pictum est tergum, cæteris feris, etiam leonibus despectis, intumescebat. Accedit ad hunc vulpecula, suadet non superbire, dicens illi quidem speciosam esse pellem, sibi verò speciosam esse mentem.

MORAL. *Discrimen est bonorum & orda. Bona corporis præstant bonis fortunæ. Vtrisq; illis animi bona præferantur oportet.*

De Asino & Viatoribus.

DVo quidam cùm in desertis locis asinum quempiam fortè fortuna nacti essent, contendere inter se cœperunt, uter eorum, uti suum, domum abduceret: nam utrique pariter à fortuna videbatur objectus. Hac interim de re illis invicem altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

MORAL. *Quidam à præsentibus commodis, quibus ob inscitiam uti nesciunt, excidunt.*

FINIS.

Digitized by Google

Æsopi vita ex Maximo Planude.

AEsopus genus traxit ex Ammorio oppido Phrygiæ cognomento Magnæ, sed fortuna fuit servus: Verùm servitus non potuit animum ejus liberum corrumpere. Fuit autem non solùm servus: sed & deformissimus omnium suæ ætatis hominum. Nam acuto capite fuit, pressis naribus, depresso collo, prominentibus labris, niger, unde & nomen adeptus, ventrosus, valgus & incurvus, & quod erat omnium pessimum, tardiloquētia cum obscura simul & inarticulata voce: quæ omnia servitutē ei parasse videri possunt. Sed quum tali esset, tamq; deformi corpore, animo tamen fuit natura solertissimo, fœliciſſimoq; ad omne cōmentum. Homo igitur tam deformis, ad fodiendū agrum ab hero suo emittitur: quò digressus alacriter operi incumbebat. Cumq; ejus domino ficus agricola quidā dono dedisset, eas dominus servo cuidā Agathopodi domum ferendas commisit. Qui Agathopus consilium iniit cum conservo, ut ipsū ficus illas devorarent, caussaréturq; posteà Aesopū, eas furto ablatas, comedisse. Hero domū redeunte, accusatur Aesopus, paratur flagra: procumbit ad heri pedes miser, dilationem petit: qua impetrata, aquā calidam affert, cujus partem ebibit, reliquam propinat conservis. Aesopus præter aquā nihil evomit, servi unà cum humore & ficus in terrā ejiciunt. Nudi nebulones flagro miserè concidūtur, laudato mirificè ingenio Aesopi. Quū sacerdotes Dianæ cōvenissent Aesopū, rogassentq; viam ut illis mōstraret, quæ in urbē duceba, is priùs frugali cœna refocillatos, in viā dux ipse

ducat. Ob

ducit. Ob quā hospitalitatē sacerdotes precib. orant Dianā, ut ipsa gratiā referat homini tam bene de ipsis merito. Quo facto reversus Aesopus, in somnū lapsus, visus est fortunā astare sibi, solventē ejus linguā, atque fabularū largientem doctrinam. Qua re mirifice lætatus Aesopus expergiscitur, & beneficiū hoc in hospitalitatis observationē rejicit. Non n. amplius loquēdo tardus erat, sed lingua soluta expeditè loquebatur, Quod cùm Zenas quidā agri præfectus intellexisset, timens ne quando iniquitatis apud dominū ab Aesopo accusaretur, hominē prævenit, atque gravissima accusatione in odiū domini induxit: adeò, ut eidem præfecto ab hero Aesopus traderetur. Cumq; jam in potestate Zenæ foret Aesopus, convenit Zenā mercator quispiā, rogās, num jumentū aliquod vellet divēdere. Respondit Zenas, jumentorū se potestatē non habere: verū Aesopū monstrat, an huuc velit, adesse quidē. Quē cùm vidisset mercator, unde hęc tibi olla, inquit, ánne truncus est vel homo? Ni vocē emitteret, utrem inflatū arbitrarer, atq; indignatus abijt. Æsopus ipsum sequens: mane, inquit. Ille verò conversus, abi, inquit, sordidissime canis. At Æsopus ait: Eme me, mercator, non inutile tibi fum futurus mancipiū: nā si tibi domi sunt mali pueri & sine otio flētes, his me præfice pedagogū, omnino eis ero pro larva. Ridens igitur mercator, ad Zenā dicit: Quanti vas hoc malū vendis? Ille, trib⁹ ait, obulis. Mercator tres obulos exponēs, Nihil emi, inquit, nihil exposui. Mercator, ille cùm Ephesi reliqua vendidisset mācipia, tria remanserunt illi, grāmaticus, cantor, & Aesopus. Quos cùm ille nequiret divendere. Samum petijt, atque ibi expositis his trib. grāmatico & cantore egregiè ornatis, Aesopo verò in medio sordidissimo stāte: venit philosophus Xanthus atque hos tres probè contuens, mercatoris cōmentū

miratus

miratus est, cùm ū inter duos bellissimos juvenes, tam sordidū statuisset homuncionē. Xanthus igitur percōtatur cantorē cujas sit: respōdit, Cappadox sum. Quid sciret, respōdit, omnia. Quo dicto, risit Æsopus. Quæsivit & à grammatico Xanthus, cujas esset: dixit se Lidū esse. Quid facere sciret rogante Xantho, omnia, inquit, grāmaticus: atque iterū Æsopus risit. Discedente Xantho, rogant discipuli ut Æsopum emat: nam reliquos duos nimis magno pretio æstimarat mercator. Veniens ad Æsopum Xanthus, rogat unde sit: nigrū se esse respondit. Ille verò, non hoc volebā, ait, sed unde natus sis. Æsopus ait, matrē non renunciasse sibi, an in sublimi vel humili loco cum genuerit. Xanthus quid facere sciat, percontatur. Et illi: Nihil. Quomodo, dicit Xanthus: Quoniam hi duo se omnia nosse professi sunt, mihi verò nihil reliquerunt. Laudatus est multis modis Æsopus ab scholasticis ob hoc respōsū, pariter & alia complura. Empto Æsopo, Xanthus domum petijt, malè exceptus ab uxorcula sua, ob tam deformem emptū servulum. Facta dictaq; multa inter Xanthum & Æsopum referuntur, quæ nunc ob id relinquimus, ne fastidium hæc pariant tenellis lectoribus. Æsopus cùm apud Samios ageret, libertate donatus est, missusque Crœso regi, bellum cum Samiis agenti: is sua tum prudentia, tum urbanitate effecit, ut Samijs placatus rex reconciliaretur. Samij multis honoribus redeuntem Æsopum exceperunt. Qui discedens ex insula, orbem peragravit: cui maximam familiaritatē fuisse memorant cum Lycaro rege, à quo statua aurea Æsopo jussa erigi: deinde peragrata Græcia, Delphos pervenit. A quibus nullo affectus honore, è rupe præceps devolatus, mortuus est. Cujus mors gravi pestilentia ulta, injustè occisi Æsopi indicium Delphis exhibuit.

FINIS.

Digitized by Google

Fabularum Index.

A.

Abies & dumus 50.
Adolescentes duo 28.
Adolescens & Canis 27.
Aegrotus & medicus 37.
Aesopi vita 59.60.61.
Agnus & Lupus 27.
Agricola & Canes 31.
Agricola & Grues 53.
Ales & ejus pulli 51.
Amici duo & Ursus 46.
Auferes 40.
Anser 55.
Anus & Ancilla 39.
Aper & Asinus 6.
Aper & Rusticus 54.
Aquila & Cornicula 7.
Aquila & Cervus 34.
Asinus 44.
Asinus 38.
Asinus & Equus 39.
Asinus & Viatores 58.
Avarus & Invidus 51.52.
Auceps & Palumbus 29.
Aves 37.
Aves & Quadrupedes 20.

B.

Bos & Iuvencus 56.57.
Bucinator 29.

C.

Camelus 45.
Cancri mater & filius 44.
Canis & Umbra 4.
Canis & Asinus 9.
Canis & Lanius 26.
Canis insidias & Bes 34.
Canis & Ovis 28.
Canis venaticus 14.
Canis & Leo 57.
Canis mordax 45.
Carbonarius & Fullo 29.
Cervus 21.
Cervus & Lupus 35.
Cervus & Boves 23.
Cicada & Formica. 56.
Columbae & Milvus 12.
Cornix & Ovis 34.
Cornix & Vrna 52.
Corvus & vulpecula 8.

E.

Eques calvus 46.
Equus & Asinus 19.
Equus & Leo ibid.
Equus & Cervus 25.

F.

Formica 37.
Formica & Cicada 42.
Fur & Canis 13.

G.

Gallus Gallinaceus 3.
Gallus & Canis 33.
Graculus 17.

H.

Hirundines 11.
Haedus & Lupus. 15.38.

I.

Iupiter & Simia 48.

L.

Leo & quaedam alia animalia 4.32.
Leo senectute confectus 8.
Leo & Mus 10.

Digitized by Google

Leo & vulpecula 23.
Leo & Rana 36.
Leo & Capra 40.
Leo & Taurus 42.
Leo & Capella 52.
Leo & Venator 53.
Lepores & Rane 14.
Lupi & agni 21.
Lupus & Agnus 3.
Lupus & Grus 5.
Lupus & Sucula 13.
Lupus & Caput piſcium 17.
Lupes & Vulpes 20.
Lupus & Canis 30.

M.

Mantuani apologus 35.
Membra & venter 22.
Milvus agrotus 20.
Mures & Rane 4.
Mus urbanus et mus ruſticus 6.
Muſca & Formica 17.
Muſtela ſenicula & mures 35.

N.

Nutrix & Lupus. 43.

O.

Olla duæ 47.
Opilio & Agricola 33.

P.

Pardus & Vulpecula 58.
Partus montium 13.
Pater & filii 28.
Pavo & Luſcinia 35.
Pavo & Grus 48.
Piſcator & piſciculus 42.51.
Piſces 58.
Puer & fur 53.

Q.

Quercus & Arundo 49.41.

R.

Rana & Bos 38.
Rana & Vulpes 45.
Rana & earum rex 31.
Ruſticus & Anguis 36.
Ruſticus & Columbæ 5.
Ruſticus & Equus 28.
Ruſticus & Fortuna 47.
Ruſticus & Iuvencus 53.
Ruſticus & Hercules 55.

S.

Satyrus & Viator 54.
Simia & Vulpecula 23.
Simia & duo ejus nati 56.
Simia & ejus proles 48.
Sol & Aquila 44.
Sylva & Ruſticus 22.

T.

Taurus & Caper 48.
Tauri & Leo 50.
Taurus & Mus 55.
Teſtudo & Aquila 43.
Tigris & Vulpes 49.

V

Vipera & Lima 25.
Vulpecula & Muſtela 24.
Vulpecula & Ciconia 46.
Vulpes & Leo 32.
Vulpes & Aquila 32.
Vultur & alie Aves 40.

Digitized by Google

2404
15
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google


Google